

David Richter

**Bibliothecae Historicae De Rebus Meclenburgicis Sciagraphia & Specimen II.  
Quo ad Natalem Serenissimi Ducis atque Principis, Domini Caroli Leopoldi, Ducis  
Regnantis Meclenburgici ... Coelitus Nobis redditum d. XXVI. Novembr. A. O. R. M  
D CCXXXIV, Festisque Orationibus Solennibus, In Gymnasii ...**

Gustroviae: Lembkius, [1734]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832193682>

Druck Freier  Zugang





clK-9453 (1.)

BIBLIOTHECÆ HISTORICÆ  
De Rebus MECLENBURGICIS  
SCIAGRAPHIA & SPECIMEN II.

Qvo ad NATALEM  
SERENISSIMI DUCIS atque PRINCIPIS,  
DOMINI  
**C**AROLI  
**L**EOPOLDI,

Ducis Regnantis Meclenburgici, Principis Vetusæ gentis Henetæ, Sverini & Raceburgi, Comitis item Sverinensis, Terrarum Rostochii atque Stargardiae Dynastæ, &c.

Domini Nostri & Nutritoris Clementissimi, Cœlitus Nobis redditum

d. XXVI, Novembr. A. O. R. cl b ccxxxiv,

Festisqve Orationibus Solennibus,

In Gymnasi AUDITORIO MAJORI celebrandum,

A A. O O. H H.

Studiose & humanissime  
invitabat

M. DAVID RICHTER, Gymnas. Rector.

GUSTROVIÆ, Typis Joh. Lembkii, SERENISS. PRINC. Typ. Aut.

Typis JOH. JAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. & RICHT. Typogr.

*ff.*

Progr



HISTORIE  
DE LA LIGNE D'ESPAGNE  
D'APRES LES HISTOIRES  
DE PIERRE DE TELLERIGE  
ET DE LAISSES  
DU MÉTAL  
S'AVANTAGEA  
DU PRINCE  
DOMINI

I  
II  
III  
IV





# J. N. J. A!



Elam, quam superiori anno exorsi  
sumus, modo cum volente, propitioqve  
DEO, pertexere tentabimus, qvamvis  
passim

*Semiputata mibi frondosa vitis  
in ulmo est.*

Ex adornata tamen a Nobis BIBLIOTHECA HISTO-  
RICA de Rebus MECLENBURGICIS, attribuemus

## Partis I. Libro III.

Caput VI. recensitum Scriptores speciales

**MAGNI II.** Ducis Meclenb. v. g. CHY-  
TRÆUM in Saxon. Lib. I. f. 8. & f. 43-47. KRANTZIUM in calce  
Vandaliæ. Præcipue autem hic pertinet Oratio in Ejusd.  
funere ab Anonymo Dobberani habita, apud CRANTZIUM  
l. c. cap. 33. f. 334-337. reperiunda. Ex Serenissima prole  
**ERICUS**, filius erat natu secundus, cui suos da-  
bimus

Sectione I. Historicos, v. g. (1) b. THOMAM, in Ana-  
lect. Gustrov. Periodo Tertia, p. 215. cui pleraque sua

A 2 debent

Typis JOH. JAC. ADLERİ, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

*Jf.*

*Progr.*  
 debent (2.) LOCHNERUS in Singular. Meclenb. cap 3. §. 4.  
 (3.) STIEBERUS in Hist. Liter. Meclenb. Inter novem enim  
 illas Charites & Musas Meclenb. illustriores ERICUS qvar-  
 tum obtinet locum. Proinde (4.) in RECENSIONUM in  
 alma Rostochiensi Collectione II. p. 7. sapienter fuit re-  
 petitus. Adjicio his (5.) Optimum (licet indignè ferat  
 ERICHUS BERINGERUS in Nova Libr. Rarior Conlectione  
 Fascic. II. p. m. 363. seqq. qvod partium studio laboret & in  
 rebus exotericis falsa pro veris retulerit, ) CHYTRÆUM,  
 I. c. fol. 44. ad A. 1500. &. Libr. VI. f. 177. ad A. 1508.  
 (6.) Autores Bibliothecarum Purpuratarum, ALGOWERUM,  
 GOETZIUM, LOESCHERUM, & qvos præterea, in novissimo  
 programmate ad JOHANNEM THEOLOGUM, excita-  
 vimus.

Sectio II. **CATHARINÆ** erit, filiæ natu-  
 tertiae, felicissimæ Matri **JOHANNIS**  
**F R I D E R I C I**, MAGNANIMI, Elect. Saxon.  
 & Socrui beatissimæ aliorum Summorum Germaniæ  
 Principum. Vide Chytræum, Saxon, Lib. I. f. 44.  
 Majori autem ubertate se commendabit

Caput VII. sistens **HENRICUM**,  
**PACIFICUM**, cui restaurati Evangelii pu-  
 riora sacra debemus. Autores vero Speciales, ex qvibus  
 tanti Principis vita exponi potest copiosius, hi fere sunt  
 præcipui. 1.) ARN. BURENIUS, Quintam suarum Oratio-  
 num habuit in Ejusdem funere & plagulam J. occupat. 2.) In  
 CHYTRÆI Orationibus itidem Qvinta est p. 103-118. qvam  
 Henrici exeqviis sacram esse voluit, cujus meminit in Saxo-  
 nia Lib. XVII. f. m. 507. sq. Observavi in eadem (n.) hunc  
 Henricum ex Ducibus Meclenb. fuisse primum, qvi non  
 Dobbe-

35 (5) 6

Dobberanensi Mausoleo, sed Sverinenium Templo Ca-  
thedrali illatus fuit. (2.) Chyträum, tunc juvenem, oc-  
casione hujus orationis, in Johannis Alberti & Ulrici,  
fratrum, Ducum Meclenb. notitiam & benevolentiam  
primum pervenisse. Sic qvoqve 3.) MARSCHALCUS, a  
Patria sua THURIUS plerumqve cognominatus, nomen  
memoriamqve HENRICI Sui, literarum monumentis  
consignavit in *Annalibus suis Herulorum & Vandalorum.*  
Quemadmodum enim cum nostro Henrico Annalium  
suorum fecit exordium, dedicans eosdem Suo indulgen-  
tissimo Patriæ Patri; ita qvoqve cum Eodem coronidem  
illis imposuit, qvia Henrici vita resqve p̄eclarissime  
gestæ eosdem claudunt. Sed vero 4.) Epitaphium Hen-  
rico, Duci Megapolensi, qvi decessit A. 1552. d. 6. Febr.  
in *Scriptis Acad. Rostoch.* p. 386. sq. græcis 17. elegiis pos-  
tum, Cel. POSSELIUM habuisse autorem, vel ideo qvoqve  
mihi persvadeo, qvia Posselius hujus utilissimi instituti  
Autor fuit, ut laudatissimos, aliarum, licet perpauca-  
rum, Academiarum, mores secutus, Scripta Acad.  
Rostoch. ab A. 1560. usqve ad Octobrem A. 1563. publice  
proposita, unico fasce collecta, evulgaverit. Qyan-  
tum enim Rostochiensis academia, literarumqve meliorum  
cultus, Henrico Nostrati, ejusqve emendationi, debe-  
ant, pluribus docebunt Autores, infra, ad Partis II. Li-  
brum V. tum, Titulo: *Academia Rostochiensis*, producen-  
di. Henricus certe Pacificus Is est, qvi, licet per  
suum Cancellarium CASP. SCHÖNAICH ad scđus Smalcaldicū  
non acceſſerit, puriora tamen Evangelii sacra suis  
Terris non invidit; sed restituit, & abusus Cléri Ponti-  
ficij strenue profligatum ivit. Qvod pium & salutare opus  
*Gustrovia inchoatum & Malchini, Neo-Brandenburgi, & aliis*  
*locis sub Johanne Alberto I. fratri filio, ea aestate 1552.*  
*confectum fuisse, Autor est gravissimus, Chyträus, Sa-*  
*xon. Lib. XIV. f. 424. & Lib. XVII. f. 508. Qui ergo ple-*

A 3

niorem,

Typis JOH. JAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

*Jf.*

*Progr.*  
 niorem, de Henrici, in Ecclesiam Meclenb. repurgatam,  
 immortalibus meritis, haurire optaverit, notitiam, non  
 solum is consulet Libri III. Parte altera, nominandarum  
 Urbium, Titulos speciales, sed & præcipue adibit Par-  
 tem II. Lib. III.

Indigna est Henrici Progenies Præcelsissima, qvæ  
 plane negligatur, licet mox exspiraverit, qvarie huic  
 Capiti VII. adjungemus *Sectiones* aliquot, qvarum

Sectio I. indicabit, qvi thori Socias mori vetuerunt,

v. g. 1. **URSULAM**, primam Conjugem, de  
 qva præ cæteris retulit b. Chyträus l. c. f. 176.

2. **HELENAM**, Chyträus f. 199. 203.

3. **URSULAM**, qua cum tertia vice Sacrum  
 connubii fœdus iniit, de qua ibidem fol. 507.

Sectio II. **MAGNUM**, Episcopum  
 Sverinensem 35tum, de qvo Historicos Speciales docebi-  
 mus infra ad Partis II. Librum II.

Sectio III. Prolem curabit reliquam, v. g.  
**PHILIPPUM**, filium natu secundum, cui inte-  
 rim Eundem adjiciemus Chyträum fol. 507. qvia causam  
 affert cur ad clavum reipubl. non fuerit admotus. Hinc  
 qvoqvæ filiæ **MARGARETÆ**, qvam HEN-  
 RICUS duxit, in Silesia Monsterbergensis Dux, Chyträ-  
 um fol. 425. dabimus, qvia Mariti Genealogiam cum  
 Hubneri Tabula Geneal. 104ta, Part. I. conferendam  
 tradidit forsan omnium primus.

Idem de **CATHARINA** Duci Lignicensi  
 nupta, præstitit fol. 44o. Restat, qvia ultima ex Henrici  
 in

S (7) 90

in his terris fuit posteritate, **URSULA**, qvæ  
A. 1586. ætatis 76. pridie S. Georgii decessit, ex primo  
Conjugio filia secunda. Per 60. enim annos Cœnobio  
Ribnicensi virgo præfuit, teste Chyträo Lib. 28 fol. 823.  
& fol. 176.

Inter Serenissimos, Ducas **MAGNI II.**  
Nepotes, **ALBERTI VI**, a forma & dignitate  
corporis Imperatoria, FORMOSI nomen adepti, filii, ce-  
teris fuerunt vivaciores, PACIFICOQVE **HENRICO**,  
Patruo, simul fere successerunt. Sed ab initio est ordien-  
dum,

Capiteqve VIII. Autores s. Scriptores Speciales de  
**ALBERTO PULCHRO**  
sunt recensendi, qvorum pleraqve pars ea est, qvi Refor-  
mationem Ecclesiarum Meclenb. Evangelicam descripse-  
runt, qvorumqve supra in Henrico pag. 4. sq. facta jam fuit  
mentio. Regiminis enim societatem cum fratre suo,  
natu primo, inierat Albertus VI. Specialibus autem Hi-  
storicis, si qvi plures porro in vestigari poterunt, adjici-  
endi præcipue videntur I. Joh. CHRISTOPHOR. à JASMUNDT,  
Orat. gratulat. ad Adolph. Fridericum & Joh. Albertum  
II. Calpini A. 1609. habita & NB. auctoritate publica eque-  
stris ordinis, Stargardiensis provincie, scripta, plag. B. 2. seqq.  
Egregie enim multarum scitu dignissimarum rerum facit  
mentionem. 2. Clar. LOCHNERUS in Singular. Meclenburg,  
cap. 2. §. 18. Diplomatis enim Cæsarei, qvod & hodie  
qvoqve in Archivo Sverin. affervari comperimus, memi-  
nit, per qvod Albertus VI, ab Imperatore Carolo V. (cui  
etiam in Comitiis Wormatiensibus una cum fratre Henrico  
An. 1521. adfuit, vide Tom. I. Opp. Lutheri Altenb. fol.  
717. col. a.) dignitate Archi Structoris S. R. Imperii exornatus  
fuit.

Typis JOH. JAC. ADLERİ, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

*JJ.*

fuit. Aulam enim Ferdinandi fratris assidue freqventabat acceptissimus in eadem hospes Albertus Nostras. Officinam Monetariam Principum forsan primus heic Gustroviæ habuit, (qvemadmodum frater Grevismoliæ) testibus monetis diversæ formæ & pretii v. g. thalero ducati fere levioris (eines Ducatons) pretium modulum qvæ exæqvante, cujus antica, Principis imaginem refert, qvæ læva manu Aliis caryophyllum, mihi folium seu frondem iligneam, ostentare videtur, hac addita epigraphe:

**ALBER. G. DUX. B. MEGA. H. POLE. G.**

1. e. *Albertus Dux Megapolensis*. Elementa literarum, qvi-  
bus nomen Titulusqve Ducis, cancellatim fuere distincti,  
vel potius in 4. partes disrupti atqve divisi, nempe  
**H. G. G. B.** ( a Sinistra enim, Frontem versus, ad  
Dextram & à Meridie seu Inferne colligenda erunt) opti-  
mi Ducis Symbolum, Fortunæ perfidiam edocens, ex-  
primunt, h. m. Hilf Gott / Glück Bricht. Postica autem  
hujus Thaleri s. Semi Ducati, nisi me omnia fallunt,  
epigraphen habebat solitam *Moneta nova Civitatis Gustrovi-  
ensis*, cum adjecto cusæ monetæ Anno, 1521. id qvod  
præcipue propter thalerum a b. THOMA p. 126, memora-  
tum, notamus. Sunt etiam minoris moduli monetæ,  
qvartam ferme thaleri Cæsareo · Imperialis partem refe-  
rentes, qvarum pars anterior Principis imaginem, No-  
men, Titulumve, Eodem, qvem supra descripsi, habitu,  
contemplanda fistunt; In Posteriori autem parte qvinque  
areae sive scuta Insignium Ducalium artificiose non mi-  
nus qvam ingeniose sunt disiectæ vel dispositæ. Qvæ  
autem ejusdem formæ, sed pondere minores sunt, exhi-  
bent qvidem in aversa parte eandem Insignium divisio-  
nem & positum, cum superius addito Anno 1527. sed in orbe  
hanc expresserunt scripturam : **MON. NOVA.  
GUISTR. OENSI** (s.) Ut vero hæc rectius intelli-  
gantur

Progr

gantur, juvabit grossum aliquem Gustrovensem, eundemque antiquioris modi, producere, in cuius fronte non Urbis signum, seu bubalus, sive integra Bubali latera, sed Ducalia Insignia, satis distincte sunt expressa, adjecta epigraphe, ex literis monasticis conflata: MONETA.  
**NOVA GUSTROW.** Tergum objicit nobis in nummi medio, Caput bubali cum naribus annulatis. Orbem haec clarissima & memorabilis exornat inscriptio  
 Ducu(m) MADG. NOPO. LENS(ium) Sed haec de Monetis ὡς ἐν παρέδοθαι. Veniendum est ad Prolem Serenissimam, cui suas, easque peculiares, dicabimus Sectiones, Johannem Albertum, Primogenitum, cum fratre Ulrico, reservaturi Capitibus proxime secuturis. Prodicit itaque filius natu tertius

**Sectione I. GEORGIUS**, militiae quam pacis artibus major clariorque futurus Princeps. Qvod si enim in obsidione proscripti Magdeburgi fata (qvæ juvenem vix 22<sup>1</sup> annorum occupaverunt, Vid Chyträus f. 509) ita sibi disponere valuisset, sicuti fortitudine, peritia & felicitate bellica singulos fere præstigit, pauci certe huic comparari, anteferri autem nemo potuisset. Vide Chyträum f. 494. seqq. vel, Eodem recentiorem, b. Hübnernum. Part. VIII. Qvæst. ex Histor. Polit. Lib. III. Cap. I. p. m. 550. seqq. JOHAN. CASELIU. LUHIADES, seu Laudatio Joachimi Luhii, Eqvitis Megapolitani. Rost. 1588. in 4. edita, mens. Septemb. plagg. 12. & nostri qvoqve Georgii fortiora facta justo celebravit præconio.

**Sectio II. & III. referet CHRISTOPHO-RUM & CAROLUM, Episcopos Ræburgenses XXXI. & XXXIIIdum. Rectius autem cum suis Scriptoribus Specialibus, SCHLÜSSELBURGIO, CHYTRÆO,**

B

TRÆO,

Typis JOH. JAC. ALLEKI, SEKENIIS. PRINC. & ACAD. Typogr.

TRÆO, BACMEISTERO, CASELIO SIMONIO, a JASMUNDT,  
ad Partis II. Librum IV, ubi de Episcoporum successione  
tractabitur, mihi quidem pertinere videntur.

*Progr*

Sectione IV. **LUDOVICO**, suos, siqvis  
majori Specialium Historicorum copia abundaverit, ad  
scribet tribuetque, Autores. Vide interim Chyträum  
XIV. f. 421.

Sectio V. **ANNÆ**, erit, ex Liberis Alberti  
VI. Pulchri, natu minimæ, GOTTHARDO KETTLERO, in  
Livonia Curlandiæ & Semigalliae Duci, fausto connubio  
junctæ. Αξιολογώτερα GOTTHARDI (non GERHARDI, uti in  
Tab. Gen. 194. Hubneri perperam legitur) copiose eqvidem  
enarrabit Chyträus Oratione X. p. 172-188; ita tamen, ut  
pereximias ANNÆ Nostræ ingenii virtutes & laudes obli-  
vioni haud tradiderit, p. 184. & seqq.

Principi **ULRICO**, filio natu secundo,  
& qvia prole mascula caruit, & Dux regnans Meclenb.  
Gustroviensis factus fuit, & ne Johannis Alberti I. lauda-  
tissima & ( faxit Deus T. O. M! ) immortalis progenies  
turbetur, adsignabimus

Caput IX. Utrum vero **ULRICUS**  
fratri Primogenito regni societatem & divisionem Duca-  
tus Patrii justo maturius vi extorserit, an amice persva-  
serit? judicet qvi Neutrius partibus favet & Chyträum  
in Saxon. VIII. f. 247. XVIII. f. 528. XXI. f. 627. perlegerit.  
Qvomodocunqve autem se res istæ habeant, Ulricus certe  
rerum in Choro & Foro sapientissime emendatarum &  
amplificatarum gloria, Omnia fere Suorum, laudes, si  
non obseurasse, saltem superasse, videtur. Præstantissi-  
mi idcirco Oratores Sacri & Cratippi Academicci, certa-  
tim, ad easdem decantandas, convolarunt, qvorum  
mul-

multitudini ut par sim enarrandæ, utique vereor. Alteram ergo Eorundem partem dabimus I. Oratorum Ecclesiasticorum concionibus exeqvialibus, cum in Sacello Arcis, tum in Templo nostro Cathedrali, etiam cum exuvia Beati in tumbam suam inferrentur, habitis a BACMEISTERO, M. Joh. ANDREÆ, Geesborger auf dem Fürstl. Hause Mirow & GIESENHAGENIO, qvæ singulari fasce editæ prostant, & Alphabeti plagulas excedunt. Alterum vero agmen instruent 2.) Præcones illi Academicæ, digni, tanto Principe, Homeri, in cuius meritis æternitati commendandis omnes ingenii nervos exercuerunt, Viri clar. LUBINUS, LAUREMBERGIUS, BANSOVIUS, HEDERICUS, SIMONIUS & LOBECHIUS, *Illi*us enim Parentatio A. 1605. d. 14. Martii habita & 6. plagg. constans, cur sit memorabilis? superiori dictum programmata. *Iste* autem, suam *de vita & morte ULRICI*, A. 1603. d. 28. April. Orationem, publice in solenni Promotionis actu, cum UDALRICI, *Hereditis Norwegie*, Episcoporum Sverinensium ultimi, & proinde Acad. Rost. Cancellarii Magnificentissimi, *jussu & auctoritate* 10. *Viris Licentiam permitteret accipiendi supremos in Facultate Philosophica honores*, recitatam, ibidem 3. plagg. edidit. *Hic* denique in solenni conventu & publicis exeqviis in templo nostro Cathedrali peroravit. Editam 6. plagg. dedicavit Duci CAROLO, ADOLPHO FRIDERICO, JOH. ALBERTO atque ULRICO, Episcopatus Sverinensis Administratori, modò memorato. Præsentes enim hanc clementissime audierant orationem. Ne vero ultima tempora omnem Ulrici memoriam amitterent, grata, erga beatos Manes, Academiæ Rostoch. pietas, instituit *Anniversaria seu Parentalia ULRICIANA*. Quemadmodum enim ANNÆ, Serenissimæ Conjugis, Clementiam, summis extollunt laudibus *Oeconomie publicæ pauperum Studiosorum, in Academia Rostochiensi & Gryphiswaldensi, quas frumentorum proventu haud contemnendo quotannis ditavit* (verbis utor Laurenbergii ex Ejus Castro Doctoris p. 47. fin.) h. e. annuo dotavit proventu, quemadmodum

B 2

b.

Typis JOH. JAC. ADLERİ, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

Progr

b. THOMAS in Analect. Gustrov. p. 160. perite admodum interpretatus est; ita quoque Maritus, ULRICUS, eorum miseratus fuit infandos labores, quibus causa paupertatis erat ipsorum probitas, illorumque inopiam suis opibus sublevatum ivit. Qvanta enim Ipsius erga acad. Rostoch. fuerit pietas & munificentia, quantum in evehendis amplificandisque literis studium, dici non potest. Vide interim Cel. & S. R. STIEBERI Mecklenb. Historie der Geslehrsamkeit / integro capite 3. p. 116. ad finem usque Libelli, seu p. 136. Mitis itaque, tantis encomiis dignissimum Ducem, vetterunt mori, qvia ex Rev. Concilii Decreto, ULRICO, Parentalia anniversaria prima, praestita & persoluta sunt a JOH. SIMONIO, A. 1604. d. 14. Martii, quae in sequenti anno HEDERICUS, ut supra retuli, celebravit, & ultra 20. annos continuata fuerunt, observante b. THOMA l. c. Certe THOMÆ LINDEMANNI, Jur. Consulti Rostoch. Parentale Manibus piis Divi Udalrici, Episcopi Sverinensis, qui obiit A. 1603. (teterrimo enim Sphalmate 1623. expressum legitur, loco mox citando) Nostro Ulrico Episcoporum Sverin. penultimo, minime vero alteri Ulrico, Episcopo Sverin. ultimo & Heredi Norwegiæ, dictum fuisse, annus editionis 1621. dilucide comprobatur. Constat namque inter omnes, Ulricum ultimum, naturæ debitum reddidisse A. 1624, d. 27. Mart. uti ex Tabula 86. Geneal. b. HUENERI apparebit. Ulricus autem, Dux Meclenb. hunc Ulricum, Heredem Norwegiæ, suumque ex filia SOPHIA nepotem, Coadjutorem sibi in Episcopatu Sverinensi adsciverat A. 1590. teste Chytræo f. 931. Utriusque hujus scripti, tum Lindemanniani, tum Simoniani ultimi, notitiam, qvia plagarum numerum non habent adscriptum, debeo Fautori meo æstumatissimo, Celeber. AUTORI Miscellaneorum Meclenburgiorum, ex qvorum Parte V. & VII. quamplurima ad nostrum institutum facientia, hauriri possunt. Nullus etiam dubito, qvin Tantorum Virorum lateri apponam JOH. CHRISTOPH. a JASMUNDT, Eqvitis Megapolitani Orat. Gratulat, plag. D. supra jam citatam, & Clar. Dn. LOCHNERI Singularia Meclenb. cap. 3. §. 7. qvia *Iste* certe flumine ingenii Nemini cedit; Hic autem Superioribus in muneris dignitate, quam præterea egregiis animi dotibus, & veræ pietatis studio, ornabat, par erat, atque Rostochii olim successerat. Pedem promoveo ad Ulrici Conjugium, qvod iterata vice init, adeoque dupli Sectione fuit distinctum. Qvare etiam Ulrico  
Sectio-

Sectione I. **ELISABETAM**, Friderici I. Regis Dan. filiam, ducenti, gratulatus fuit ARNOLDUS BURENIUS quæ inter Ejusdem Orationes à Nathane Chyträo editas, est Sexta & plagg. K & L. occupat. Nec suo defuere officio, cum fatis concederet, JOH. CASELIUS, Meclenburgicus ille qvondam Cicero, & DAVID CHYTRÆUS, Patriæ nostræ, sua ætate, alter Livius, qvorum ille de Laudibus Elisabethæ hujus Danicæ, qva pollebat dictionis castitate & ubertate, publice dixit, testibus b. THOMA & modo laudatis *Miscellan. Meclenb.* Part. V. p. 21. qvorum vero uterque in Titulo variant; CHYTRÆUM vero Orationem funebrem Elisabethæ habuisse Gustroviæ, ipsem in Saxoniam palam testatur fol. 830. Nec qveinqvam turbabit, qvod b. Thomas asseveret, Chytræi Orationem e suggestu Templi nostri-Cathedralis habitam fuisse d. 23. Novembr. A. 1586. cum Elisabetham diem obiisse sciamus d. 4. Octobr. Qvod si enim Locum obitus & sepulturæ distinxeris, omnia erunt composita. Utrum deniqve cum b. Hubnero diem emortualem statuas d. 4. Octobr. an vero cum Chyträo, qvem vide in Saxon. I. c. d. 15. Octobr. assumferis? parum referet. Ex hac Elisabeta, qvam Viduam

**MAGNI**, Episcopi Sverinens. 35ti, duxerat; unicam filiam Ulricus suscepérat

**SOPHIAM**, Friderico II. Regi Daniæ in matrimonium datam, celebratis regali luxu Hafniæ nuptiis, vel d. 20. Jul. A. 1572. secundum Chyträum f. 682. vel d. 20. Jun. ex mente Hubneri, Tab. 194. & 86. Regiæ Domus Danicæ mater fuit foecundissima, Vide Chyträum f. 853. 870. & Hubneri Tab. 86. Ex Joh. Caselii autem Oratione, *in obitum FRIDERICI II. Regis Daniæ, Sophiae, Duc. Meclenb. Mariti A. 1588.* publice habita (testibus *Miscell. Meclenb.* Part. 5. p. 21.) facile concipio, Gloriam, Sophiæ Nostræ, silentio haud fuisse præteritam.

Sectione II. ad **ANNAM**, qva cum Conjugium altera vice iniit, spectabit, quæ suo Marito 24. annos superstes, Vidua Graboviana diem obiit A. 1626. d. 10. Septembris. In exequiis Ejusdem concionem ex Es. XXVI. 20. & dimidio 21. post solen-

*Progr.*

nem funeris deductionem habuit Bacmeisterus, plagg. 7. editam 1626. Cum vero funus tumbae maritali illatum esset, habuit super Ejus obitu d. 14. Decembr. in Templo nostro Cathedrali Orat. funebrem D. Petrus Laurembergius, qvæ in Ejusdem Castro Doloris est secunda, p. 30-56. Restat, ut de Statuis S. Imaginibus Ulrici, Elisabetæ, Annae atque Sophiæ, ex regio solidoque mar more qvam artificiosissime exsculptis, in Cathedrali nostro Templo etiamnum fulgentibus & cuivis posteritati, auro qvovis, charioribus capitibus, deque ipsa Sereniss. Principum tumba, & qvos aculeos adjectæ inscriptiones legentium animis infixos relinquant, qvædam adferrem; sed ista omnia & multa præterea alia memorabilia egregie descripsit Vir multæ fidei, probitatis atque prudentiæ, Dn. GUSTAVUS THIELE im 500. jährigen Alter der Dom Kirche zu Güstrow. pag. 113-118. Qvare rivos nostros jam clademus, qvia arva hæc chartacea satis nigri liqvoris bibisse videntur, DEUM, Vitæ nostræ, Rerumque Omnim & Autorem & Moderatorem supplices venerati, qvod nobis, hanc scribendi opportunitatem, latus, concesserit, hoc glorioſimo præsertim, Serenissimi & Præcelsissimi Ducis atque Principis, Dn.

## CAROLI LEOPOLDI,

Ducis regnantis Meclenburgici, Principis vetustæ Gentis Henetæ, Sverini & Raceburgi, Comitis item Sverinensis, Terrarum Rostochii atque Stargardiæ Dynastæ, &c. &c. Domini & Nutritoris nostri clementissimi, & votis omnibus expedito, utinam quam sapissime redeunte, Natali, qvi Patriæ nostræ Patri Clementissimo, jam supra Semisecularem, erit Sextus. Addat Clementissimum Numen hoc etiam Bonorum Omnim, nostrisque votis, pondus, ut Serenissimus Princeps cum SERENISSIMA FILIA PRINCIPE, stirpis Imperatoria Ornamento & Propagine Præcelsissima, una cum UNIVERSA SERENISSIMA DUCUM MECLENBURGICOR. FAMILIA perennes annos transfigat sospes atque incolumis; ut, sedatis fortunæ perfidiæ procellis, sero suis præsit populis, fortunatissimus Heros. Hæc autem ne temere dixisse videar;

dear, cras V. D. hora IX. Antemeridiana, Tres producam, humillimæ meæ & debitæ pietatis, testes,

*Multæ Spei, Optimarumque literarum & cultissimorum, Vitæ suæ, morum, Adolescentes,*

I. JACOBUM EMMERICH, *Gustroviensem,*

Orat. germanica soluta celebraturum Divv. ULRICI,  
GUSTAVI ADOLPHI, FRID. WILHELMII & CAROLI  
LEOPOLDI, etiamnum, utinam Dru! superstitis,  
Sereniss. Ducum Meclenb. in hoc nostrum Lyceum collata summa beneficia.

II. CHRISTOPH. CAROLUM WOLFF,  
*Rossovia - Meclenburgicum,*

Oratione Latina contra Gv. CAVE, Script. Eccles.  
Histor. Liter. Partem alteram fol. m. 20. & 21.  
expositurum, de

*Utraque Schola Alexandrinorum,  
& Platonicorum Philosophica  
& Christianorum Catechetica,*

III. THOMAM CHRISTOPH. LUGERUM,  
*Gustroviensem,*

qui supplere studebit ea, qvæ ARNOLDUS, in der  
wahren Abbildung der ersten Christen/ Part. II.  
Lib. VI. cap. 4. §. 14. f. m. 95. tradidit, & metro  
germanico canet Ephesinam, Smyrnensem, Bery-  
tensem & Athenensem,

*Scholas Christianorum Sec. I. & II. celebriores.*

Vos autem P. C. & A.A. O.O. H.H.  
hoc juventutis placendi studio calcar addetis præsentes, ut cum  
favore & assiduitate confluatis, animum Dicturis erigatis, & bene  
precantibus Patriæ nostræ Patri, fidem & pietatem, accendatis,  
accen-

Typis JOH. JAC. ADLERİ, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typogr.

*ff.*

*Progr.*  
 accensas confirmetis, & confirmatas probetis. Certe si meis  
 precibus hic locus non esset relictus, hoc tamen, quod expertus  
 saepius laudavi, injunctæ coelitus pietati dabitis, ut socias nobis  
 cum conjugatis preces, pro salute & omni felicitatis ubertate

**Tanti Principis, DEUM** fatigare studentes obsecratio-

nibus, orationibus, postulationibus & gratiarum actionibus, ut sub

# CAROLO LEOPOLDO,

*Duce regnante Meclenburgico & Hero nostro Clementissimo, Divinitus in Sublimitate constituto, porro quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate! Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro*

*DEO. II. Tim. II. 1. seqq.*

S. D. G.







De Riddagshausano coenobio autem hæc traduntur. Dies Kloster hat einen Abbet gehabt und eine feine Schule, darinnen 12 Knaben mit aller Nothdurft unterhalten, und in Logicis studiis durch einen Magistrum, welchen der Abt besoldet, instituiert werden. Solcher Kloster-Schulen seyn 6. im Lande schweig, in unterschiedliche Classes abgetheilet, durch w Stipendiaten ordentl. geführet werden, bis man sie eni der Universität nach Helmstädt mit Nutz verschick. Cum deinde turbulentum Brunsvicum, mox vero Gv cum adiisset, in secessu vicino Hessen ab Avia sua te receptus & per 9 dies retentus fuit. Amoenitates auto semenses, dictaque Monasteria latius enarrabunt Autor Baringium reperiundi.

### §. 7.

Hessemo die 4 Martii discedebatur, reliquaque stadio, Schanderslebiaque, *Halam*, intravit, ubi d. præter alia, salinas quoque vidit, de quibus ita: D. M. Bericht nach, sollen die Salz-Röten jährlich 2 Tonnen tragen. Doch wird eine wieder auf die Unkosten g. Von der andern muß man dem Hrn. Bischof ein gena richten, welcher das Feudum 123 Häusern verleihet. vero de his Salinis Scriptorum nubem collegit Clar. SIGIUS, pleniorum sine dubio dabunt notitiam in *Bt xon. Super.* p. 941. In templo Cathedrali Halensi runt Epitaphium D. Mosmanni, ex unica sua uxore liberorum Parentis facti, cuius πολυτελίας alia pluram peditabunt exempla, *STISSERUS ad Sirac.* 16. p. 17 *CARTUS Observat. Hist. Polit. Decad. II. p. 286 - 2* Jac. THOMASII, *Oratt.* p. 121. *LANSII Consult.* p. n. omittam STEPNERUM in *Inscript. Lipsiensibus:* A

